DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. NOVEMB.

M. ALANO LAMY, Doctore Medico Præside.

An Repellentia Anginosis?

1041

RECTE Medenti nullo non tempore religiosa futura τὰ ἀνυπεύθυνα non violat ille, qui priuato, vt res ferunt, applicat operi quicquid negotiosæ multùm artis exceptitia in singulis obtinent iura. Peritum idcirco artificem neu dixeris, qui ἄνευ διορισμοῦ, inops indicationis, rerum ægri quicquâ ausit satagere; quod, ne quidem Empeiricis, Methodicisve fas vsquam; queis pro Municipali etiam tum formulâ, cùm solenne est ἐνὶ κολόπεδι πάντας ὑπεδέειν, sua nihil ominus stetit semper pro norma ἀκριβείᾳ, tantò quidem Dogmaticorum diorismo iniquior, inferiorq; quantò Mens sensu, Ratio experientiâ certior, potior; criminosæ quin etiam & hæc rea temeritatis, si fecerit diuortium. Agendorum siquidem priuatas rationes, non idea morbi, sed causa suggerit & temperat; non causa quæ nihil indicat: non affectæ partis, sed actionis iniuria indole æstimanda symptomatum, non turbâ, præ qua, mutata velificatione, eruditæ se cundùm Naturam Principis artis hæc summa est, seruire tempori; interdum in chronicis, in acutis & peracutis semper, qui sine febre nunquam: nisi, quod in Angina fit, quodcunque, molestiæ subit, aut discriminis, vno vitalis cum ambiente commercij impedimento conflatum est; cuius causâ, aliena sæpenumerò ire via, sit pretium operæ, atque ἰδίᾳ καθ' ἕκαστον experiri. Hinc aliæ atque aliæ cuiusque morbi curandi artes, inanem Empeiricæ historiæ diligentiam, vt peritiæ fidem, tot insecutis mortibus accusant; cum mutanda in arena consilia, non scopum, vis præcipitis morbi non rarò exigat; neque vna ideò ægris pateat ad salutem via: siue stare loco nescius humor sit continendus, siue præ situ incommodo nonnunquam traducendus ille, aut eliminandus. Sunt etiam quos sola partis vnius læsæ iuuet querela, quam recentis accessione damni nil grauat plerumque onerare, in certiorem fidem & tutelam ὁλομέλειας: quando nulla magis propitia fors ægris restat, quàm morbum morbo redemisse.

ARCTATI fruminis animæque in eo Isthmo laborantis, quem ἐς κλεισὼν πνεύματος patere semper Natura voluit, affectus Angina est, αὐχενὸς πάθος, quæ præfocando, *vitalesque vias & respiramina claudit.* Siue (quod insolentiùs, nisi πνεῦμα ἐξαγχεσίχρουν malè habeat) repandâ vel obstipâ ceruice versus in Aginam Dens, aut major spondylus, compressu, inclinatione ἐς τὸ εἴσω, ἕως minuerit συριγγείῳ fauceſque prehenderit; Siue calidissimi siccissimique spiritus id mali dederit sola vis ignea; Siue afflatu Charoneio, ὃ σωμάτων πάθεσι, auræ vitalis iter interceperit imo licet ventre sepositus Veneris gurges, aut Cloacinæ; Siue tandem, quod est procliuius, ceruicis arteriæve summa, gutturem, tonsillas, linguam, & in columellam, ἰμάντιον, καταπότιον deformatam simul vuam, sua mole grauis, substantiâ, qualitate alienus humor occupauerit, ampliatoque deinceps συριγγὸς malficio, in malas, αὐχενῶνα, λαιμοτόμαν, totum denique iugulum fecerit impressionem; pro cuius decubitu luculenta surgat Anginæ familia Cynanche, Paracynanche, & vnius scrupulosa interpolatione elementi, Synanche, Parasynanche. Angit omnes ægræ respirationis idem, haud æquus tamen dispari causæ obnoxius labor, frigus ἐμφρακτικὸν, συριγμικὸν his magis præcipua: Vndè alsioso, humidove cœlo aut solo, quàm sub æstuoso aut squallido Cane, è cerebro in faucium collicias maiore vi manat τὸ κολλῶδες; meritâ tum potiùs metuendâ noxâ, sentariam: vbi tristissimo videris spectaculo genis, oculis igneis, prominentibus, exertâ canum more linguâ singultantem, στενάχοντα, resiliente in nares potu animam efflare: quûm æstu gulæ, colli, καυσῶνα, præcordiorum actus implacido, plurimumque laborioso anhelitus obnixu, breue f. igidioris auræ beneficium patularum faucium iugi contentione sollicitat & captat; interdum modò, ceu deposita indole, ora pallidum, vultu decolorem, defossis oculis, gracili, depressâ ceruice, tonsillis nihil tumentibus, nec adurgente aëris vsum febriculâ, difficiliùs sorbillantem, fuscâ, subsurdâ Engastrimythorum voce ἐνιέμενον, animam trahentem: non minore, sed obscuriore fatalis morbi sequitâ.

ACTVTVM consultòque prouideris, si tum redactæ vltimas in angustias Naturæ studia, conatusque improbos priùs obserues: dehinc aduertas diligentiùs quid & quantùm offensionis, negotij, commodi apportare solita sint τὰ ἐπιγενόμενα, ἐπιφαινόμενα; An id illi infortunij primùm creatum sit? An secùs rerum domina, suique iuxta impotens feritas symptomatum, tumultuariâ factione patrarit? An recentis morbi procuratâ successione, veterem grauioremq; illa sic dissoluere versuram sit meditata, præsenti tum maximè rebus suis consilio ἀποδίσιος quûm fors tulerit imitando; dum critici huius facinoris interpres, vel æquus arbiter sedeas, seriò cogniturus de vi humoris morbifici, illique destinando ἄπεργον, collum ἴσχιολον, descriptumque in rectum haud ἐπερρέγκτον ἐξόγκωμα offenderis, nullius ideò propriæ, nedum communicandæ inflammationis conscium, aut resolutionis non vltra manum futuræ, nequidem quûm aliter fit, nulli-que indulgente Parca obtorto collo æger ad Ditem templò rapitur: quando non satis fidelem commissuram, veluti gelicidio præstrictorum colli vinculorum tetano cognatus rigor corruperit, nec modò νέκταρ ἀσφάλειον, at Dentem simul in noxia deprenderis. Profugus sine lare, nec bene tutus, totusve imprudenti æstu in Curculionis conjectus gurgustium, capitaliùs multò defæuiet quivis humor mitissimus, nedum indole, vel corruptelâ efferatior susque deque orgasmo liberiore, maiore vi, exitio constanti iam iam erupturus: dolore capitis præeunte, inde secutâ conuulsione obsessam mentis arcem, expugnatam phrenitide significabit; seu funestam ἀναξορμὴν gracilescente cum ceruice pulsa; & ipsa tamen potiora, hâc suâ permolestâ quidem, plenaque aleæ, at sospitali præcoquæ ξὺν πάσῃ eruptionis tesserâ, quàm si fastigiato ἐς ἀκόρεστον tumore fauces derepente eliserit. Vnâ sortis vltimæ morâ acceptius est diuertere in pulmones, demum abire in suppuratum; plena tandem immunitas, quum pars exceptura, dignitate vt situ inferior, κεῖν ἧσσον respondent, semotior interuallo, æqua continendis ἐλλειπόντων ἐκβλάσμασι, ne fiat ἀναξίως τῆς ἀριστοκρατίας τῆς νόσου; orci θνωλόν denuò remetiente ægro, pedibus frigidissimis. Quæ vota vna animæ impedita libertas facit, aliàs longè optimum loco stetisse.

ILLORVM proinde Tribunum, quos rudis Thessali, audaculive Herodoti aluit Schola errore translatitio & populari, quam primùm vsurpata ῥεύματος ἐκμειούντος Repellentia, inane inanioris ἀποκρούσεως καὶ μεταστάσεως nomen esse accipias: quasi subducendi de parte humoris, vel aliorsùm deportandi legataria foret his prouincia, solido aliàs iure, vacuantibus, reuellentibus ascribenda; quare κελεύσεις potiùs illa idoneo nomine nuncupaueris, quòd illum humorem, eo quo semel receptus admissusque est loco seuera lege contineant, pressiùs coërceant; hoc titulo glutinantibus, astringentibus germana; ab iis tamen diuersa, terrenæ licet substantiæ conditione σύστασις: nulla quippe repellentia calida reperias, verùm reipsa aut potestate frigida omnia, hoc ipso solicitioris naturæ studio τῆς διαφορήσεως primario, διαιρίσεως, πεπασμοῦ, ἐκπνεύσεως, καινώσεως secundario sic inimicari sentias, vt ne sincera vnquam, efficaciora gelidave admoueri sustineat: quasi indicto quodam, vbi regnant ista, naturalis operis iustitio; adeo graui luduntur illi, læduntque paralogismo, qui, ceu Nili Accolæ grauem sibi annum habituri, pro commensu & modo ῥεύματος exundantis, id vnum relictæ sibi operæ putant, Repellentia contraliceri. Nudis Ossibus, Neruis, Ischiadicis, Pulmonariis, Hæmoptoïcis infesta semper; aliàs hæmorrhagiæ profutura. Si quando frugi sint, maximè vbi efferi pronaque in excursum vagi inconstantisque humoris tenuitas turbas turbauerit, dolente capite, fæuiente nec dum compresâ oculorum Epiphorâ, Arthritide, Podagrâ excruciante, vlcere Chironio erumpente primulùm, aut senescente. Iecori vllive viscerum laboranti, sedato orgasmo, puro obrogent? cum animo tibi tuo depugnandum, nec priùs in negotio dabitur quod liqueat, quam illorum ἀξίωμα, μέγεθος ex viribus Naturæ, Morbi, æstimaueris: Illud ex sanitatis aut vitæ merito, hoc, ex propria essentia vel à natura recessu; quò tandem ex æquo & bono, alterutrius partibus gnarior gerundorum accedas, benè persuasus statarios humores haud temerè de his statuis deturbandos, qu os decreuerit Natura, aut vis morbi melior inuenerit; ac nefastum esse partis vsus vitæ assiduus nobilitat, Repellentibus adoriri.

METHODICVM certè Dogma nimis illud est, fartis turgidisque congesto humore faucibus astringentia confestim admouere, & præter Communitatum leges, acceptas Dogmaticis, tum συνιζῆσαι, quum expedit ὀφύναι, atque aëris vsultum. Illius tibi cura prior, tota in reuulsione: non ignaua quidem illa, dum properato opus est, inferorum superorumve attuum frictione, aut vinculis arctioribus; at venæ sectione quam primùm iugulaueris, amplo vulnere celebrandâ, quò ῥοιζηδὸν feratur sanguis, cò majore efficacia si κατ' εὐθυωρίαν liberaliùs, ad animi vsque deliquium, de proximo fluxerit: scilicet è cubiti potiùs, quàm malleoli venis, ni solitum mensium, lochiorum, hæmorrhoïdum fluorem, æstus morbi ad se conuerterit; Cœli, plagæ, habitus, sexus, ætatis, nec te minùs æqua dimouerit conditio; hinc mensuræ non remedij modus est, cui ne vires quidem ipsæ quum laborant renuntiant. Eadem studia αὐτῆμαι enematis primùm Ecsubsederit tumor opportunè vtaris licet, vel quid aliud è nostris ὁμοιότροπον obtulisse. Deriuatione demum angustatæ gulæ tempestiuiùs facies, cruentis cucubitulis, occipiti, pone aures, iugulo, pectori affixis. Υπογλώττιδας tundere non ante cruore multo fœtas & graues superuacaneum; Iugulares secuisse præsentissimum; vel audaci, at securo ictu, laryngis Isthmum perfodisse. Placent oris collutiones, fotus, suffitus, cataplasmata quæ blandè emolliant, laxent, elicitant, scita ἑωσῶν ἕξω ἄγειν, rebus ægri & Naturæ consentaneo plurimum instituto; præquo, licet adeo miseræ Empeiricorum carnificinæ in maximam malam crucem, quæ crudeliore hâc constitutâ ἀποκρεσιῶν catastâ, ægrum denuò adfigi, hærere pertinaciùs, solidari vltimò & lapidescere necesse sit. Sapies, modò caueris μὴ τὰ ἐκκεχυμένα εἰς τὸ εἴσω ἀπολαμβάνειν, ἀλλὰ τὰς ἀρόδους ξηραίνειν.

Non ergo Repellentia Anginosis.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Carolus le Breton.
M. Claudius Perrault.
M. Tussanus Fontaine.

M. Franciscus Pajot.
M. Florimundus Langlois.
M. Claudius le Vasseur.

M. Sebastianus Rainssant.
M. Nicolaus Brayer.
M. Cyprianus Huhaut.

Proponebat Lutetiæ PHILIPPVS DOVTE' Bituricensis, A. R. S. H. M. DC. LV.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE